



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Prima Duo Sæcula Complectens

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1758**

**VD18 13322648**

§. 8. Hæresis Simonis Magi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66002](#)

## §. VIII.

*Hæresis Simonis Magi.*

Sæculum I.

A. C. 34.

Is seipsum supremam illam Potentiam di- *Iren. l. I. c.*  
 cebat, quæ ab hominibus, prout vel- *20. p. 115.*  
 lent, nominari patiebatur : Se inter Ju- *edit. 1639.*  
 dæos apparuisse ut Filium, in Samaria ut *Just. ibid.*  
 Patrem, apud alias nationes, ut Spiritum *Orig. in Cels.*  
*sanc&gt;ctum.* Quamdam mulierem nomine *l. V. p. 272.*  
 Helenam, aut Selenem, quod dicitur Lu-  
 na, circumducebat, quam Tyri prostitu-  
 tum mancipium emerat. Hanc primam  
 sui intellectus conceptionem dicebat, re-  
 rum omnium matrem, per quam Angelos,  
 & Archangelos condidisset. Hanc con-  
 ceptionem a se egressam, suæque volun-  
 tatis consciam, in terras delapsam, An-  
 gelos, & Potestates genuisse; ab his An-  
 gelis invidia urente Matrem, vi deten-  
 tam, libertate privatam, ne ab alio pro-  
 ducti viderentur. Se vero Patrem iis  
 prorsus fuisse incognitum. Eandem con-  
 ceptionem sic a filiis detentam, omnis  
 generis contumeliis affectam, ne ad Pa-  
 trem redire posset, corpori fuisse inclu-  
 sam, ita ut de sæculo in sæculum in multa-  
 rum foeminarum corpora transiisset, tan-  
 quam ex uno vase in alterum. Eam fuis-  
 se formosam Helenam, belli Trojani cau-  
 sam. Poetam Stesicoram ideo oculorum  
 lumine privatum, quod ejus famam læ-  
 sisset, iterumque recepisse, quam primum,

B 2

facti

Sæculum I.  
A. C. 34.

facti pœnitens, notissimam in ejus honorem palinodiam cantasset. Denique ex corporibus in corpora transmigrando ad eam devenisse infamiam, ut publice prostitueretur. Hanc esse ovem perditam, pro qua venisset in mundum, seque hominibus conspicuum fecisset, ut eam primum, & deinde alios salvaret.

Nam, superaddebat: *Cum mundum ab angelis male gubernari mibi competum esset, & quemlibet eorum affectare primatum; veni, ut remedium ferrem, sub Virtutum, Potestatum, & Angelorum figura descendens, apparui inter homines homo, cum non essem homo; visus sum in Iudæa pati, cum re ipsa non paterer. Prophetas Angeli auctores mundi inspirarunt; ideo, qui in me, & Helenam credunt, iis ultra non adhærent. Faciant, quod lubet, quod homines liberos decet. Non enim bonis operibus, sed mea gratia homines salvantur, cum non dentur opera, sua natura bona, sed aliunde, & ex Angelorum, qui mundum creaverunt, institutio ne, qui hominibus, ut eos in servitutem redigerent, præcepta posuerunt. Ideo de struam, quæ mundi sunt, & meos ab eorum servitute liberabo.*

Orig. cont.  
Cels. lib. VI.  
p. 282.

Hæc fuit doctrina Simonis Magi. Ut sibi plures discipulos conciliaret, eosque mortis metu, cui Christiani erant expositi, exoneraret, licere in causa Idololatrix

triæ indifferentem esse docuit. Ipse a Sæculum I.  
sectariis sub Jovis specie, & sub figura A.C. 34.  
Minervæ Helena adorabantur. Eorum  
sacrificuli in omnem licentiam effusi, ma-  
giæ, incantationibus, beneficiis amato-  
riis, somniorum interpretationibus cun-  
ctisque vanis observationibus vacabant.  
Hujus sectæ, nunquam persecutionem  
passæ, nihilominus ducentos post annos  
nullum vestigium superfuit.

## §. IX.

*Apollonius Thianæus.*

Illo tempore circa finem regni Tyberii, *Philost. vita*  
aut initium Caligulæ, celebris impo- *Apoll. lib. i.*  
stor Antiochiam venit, nomine Apollo- *c. 3. 4.*  
nius; quem pagani Apostolis, & JEsu  
Christo opponere non erubuerunt. Na-  
tus erat Thianæ in Cappadocia ex anti-  
qua, & opulenta familia, magno ingenio,  
& excellenti memoria, linguae Græcæ pe-  
ritissimus, tali corporis specie, ut omnium  
in se attraheret oculos. Anno ætatis de-  
cimo quarto Tarsum Ciliciæ missus est a  
patre, ut eloquentiæ studeret; sed præ-  
placuit Philosophia, & inter sectas Pytha-  
gorica, quam anno decimo sexto profite-  
batur. Carnibus vesci respuit, utpote  
cibis ingenium, & sanguinem spissantibus,  
sed solis oleribus, & leguminibus. Vi-  
num non damnabat, abstinebat tamen,

B 3 tanquam